



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curix forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXXI. De Remissoria, ejusque concessione, vel denegatione; Sive de admissione vel rejectione articulorum, ad effectum probationis per testes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)



21 *præsertim in relatione Curia disc. 32. & supra num. 15.* Nunquam tamen inutiliter, quamvis in omni pagina repeteretur, desiderandus est iudex, non solum literatus, atque in iure bene peritus, qui istas regulas generales, & limitationes sciat, sed etiam sit prudens, atque negotiorum praxim, & experientiam habeat, junctam cum integritate, bonoque sine, cum sine omnibus istis partibus simul junctis, non de facili detur bonus iudex; Rarique sint hodie illi casus, in quibus causarum decisio pendet à solo puncto juris in arbitrio.

22 Dantur autem quidam libri, quibus memorialium nomen, non congruit, minusque congruere videtur nomen legalium librorum, ut supra quia nempe non contineant occulta & domestica negotia propria, sed aliena, ideoque publicitati potius expositi sunt, sed librorum formam verè non habeant; Ut frequentiori praxi sunt libri tutorum, & curatorum, seu prædictorum, ac magistrorum domus, qui non retineant formalem scripturam seu computatariam, sed conficiant libros grossolano modo, tanquam per speciem memorialium; Credunt autem ita proprio muneri satisfacere, quodque tales libri eis sufficiant pro redditione rationum suarum administrationis; Et in hac specie quamvis aliqui scribentes ex genere illorum, qui procedunt cum sola littera legum, vel cum foliis generalitatibus, multas firment rigorosas, ac irrationabiles propositiones, præsertim contra tutores, aliosque legales, vel conventionales administratores, qui ad libri confessionem, ac retentionem tenentur, ita ob librum, non omnino ordinatè tentum, eos redarguendo adeo fallaces, ut juramento in litem subijci mereantur; Sive quod etiam circa expensas currentes, modicas, & verisimiles, hujusmodi libris deferri non debeat; Attamen ista potius dicenda sunt leguleicæ superstitiones, per judicium Iudicem negligendæ; Attendendo quidem juridicas propositiones generales pro quodam lumine generico, juxta supradictum exemplum viæ, regulando autem arbitrium juxta qualitatem facti, ac singulorum casuum circumstantias, & præsertim circa expensas verisimiles, vel inverisimiles dicta decis. 251. post Zach. de obl. Camer. Buratt. & add. decis. 465. Gregor. & add. decis. 475. decis. 111. & 177. par. 7. rec.

23 Solet circa hanc speciem probationis disputari, an illa dividi valeat, atque in parte attendi, & in parte impugnari, quia nempe velit quis uti libro contra scribentem in partibus sibi favorabilibus, sed nolit illi deferre in partibus sibi præjudicialibus, ipsique scribenti favorabilibus; Atque in hoc, licet non desit consueta opinionum varietas; Magis tamen probabile, & communiter receptum videtur pro regula, ut hæc divisio admittenda non sit; Ad instar eorumque supra de confessione in civilibus dicta sunt; Intrat autem eadem limitatio ibi enunciata, quæ resultat ab obstantia contrariæ præsumptionis, qualis urgere dicitur, quando liber detegatur minus fidelis, & alteratus. *tit. de credito disc. 78.* Sed pariter periculosum, minusque commendabile est, cum hac generalitate simpliciter procedere in omni casu, cum verius dicendum sit idem quod supra, & ut scilicet totum pendeat à singulorum casuum qualitate ac circumstantiis.

Datur item quædam species librorum, qui

licet de stricto jure sint privati, attamen quanda- 24  
dam publicitatem præ se ferre videntur, & propterea quadam majori fide digni sint, atque minoribus indigeant adminiculis, ad favorem scribentis adeo ut quandoque sufficientes reputentur in solo possessorio; Ut (ex. gr.) sunt libri vel diarii Baronum, vel Episcoporum, seu Capitulorum, & Monasteriorum, aliorumve piorum locorum, pro decimis, responsionibus, ac tetraticis, aut similibus, quod pariter certam non recipit regulam, sed pro facti qualitate est regulandum. *Marant. cons. 40. Buratt. decis. 870. decis. 12. & 234. par. 7. rec.*

25 Ea quoque datur species codicum, quibus, non libri, sed scartafacci, seu simplicis bilanci nomen datur, atque legalium librorum formam non habent, & tamen integra fide digni reputentur, potiusque publici, quam privati dicendi sint, ob plurium privatorum concursum in idem ut sunt bilanciæ seu quinterni, vel scartafaccia mundinarum, in quibus adnotantur literæ, seu tractæ cambiolarum, adeo ut ipsis literis amissis, ex eis, tanquam registris, vel prothocollis, novæ efformari valeant. *tit. de camb. disc. 6. & in aliis, Bich. decis. 481. & 501.*

Super illis libris Communitatum, qui sub castri, vel æstimi nomine appellantur, in quibus bona privatorum describi, & allibrari solent pro collectarum regulatione, quæstiones cadunt, an & quam probationem faciant; Vel circa valorem bonorum; Vel circa eorumdem dominium, ac pertinentiam, vel possessionem, & sic circa ea, quæ extranea sunt à fine, ad quem illi confecti sunt; Atque regula est, ut eis non deferatur inter tertios, bene tamen faciant adminiculum, vel adminiculati deterviant, cum distinctione inter illos, qui seiverunt & passi sunt, & ignaros, ideoque certa regula non cadit. *Post de manut. obser. 27. Buratt. & add. decis. 317. Rovis. super pr. egm. in Rubr. de appretio.*

27 Demum etiam in illis casibus, in quibus ex jure municipali scripto, vel non scripto, sive ex aliis circumstantiis, ut supra, fides libro, etiam favore scribentis præstetur; Adhuc tamen id procedit quando partita sint peræ; Secus autem si relativæ ad ordines, vel apochas, aliave scripturas, cum tunc intret regula generalis de scriptura referente, non attendenda sine relato. *dicto disc. 68. de credito & in aliis ibid.*

28 Et de aliis ad materiam, perquiri poterit apud tractantes, cum sat videatur ista pro aliqua notitia adnotasse, præsertim quia, ut præmissum est, revera non est materia capax regularum certarum & generalium quibuscumque casibus applicabilium, cum totum pendeat à singulorum casuum qualitate, & circumstantiis.

De remissoria concessione, vel de negatione; Sive de admissione vel rejectione articulorum, ad effectum probationis per testes.

#### S V M M A R I U M.

1 DE quæstionibus super oppositione adversus probationem faciendam per testes.

2 DE



- 2 De stylo Auditoris Camerae, & aliorum Tribunalium circa admissionem articuloꝝ.
- 3 De ratione dicti styli, & de fine, ob quem articuli den- tur, & de appellatione ab admissione.
- 4 De diverso termino quem habet Rota, & habeant alia Tribunalia.
- 5 De recurſu qui haberi solet ad Signaturam, & de istius reſcriptis.
- 6 Non laudatur stylus edendi deſuper deciſiones.
- 7 De diverso modo concipiendi dubium in his diſputatio- nibus in Rota.
- 8 De differentia inter examen in Curia, & remiſſoriam in partibus, & quare facilius admittatur examen in Curia.
- 9 Quod in Curia non de facili detur ſubornatio, vel fal- ſitas teſtium.
- 10 De stylo adhibendi interpretes, qui laudatur.
- 11 De inconvenientibus, quos iſte stylus producit.
- 12 Quod de facili admittitur examen in Curia.
- 13 Quando teſtes adducendi ſint ad Curiam.
- 14 Ad quem finem ſoleat peti remiſſoria, etiam ſine ani- mo faciendi probationes.
- 15 Quales dicantur cauſe ſpirituales ad hunc effectum.
- 16 Et quae ſint cauſe prophanæ.
- 17 Quae ſint requiſita remiſſoriae in cauſis ſpiritalibus.
- 18 In prophanis non datur regula, & quare.
- 19 Improbatur stylus deſuper allegandi auctoritates.
- 20 De requiſito relevantiae.
- 21 De calumnia, & quando includatur vel excluda- tur.
- 22 An detur remiſſoria, quando probatio haberi poteſt per ſcripturas.
- 23 An & quando detur adverſus propriam confeſſionem
- 24 Vel adverſus iſtrumenta, aliaſque authenticas ſcripturas.
- 25 Sive adverſus rem iudicatam vel tranſactionem.
- 26 De improbabilitate materiae articulatae.
- 27 De contrarietate probationibus jam factis.
- 28 De cauſis executivis, & privilegiatis, in quibus re- miſſoria eſt deneganda vel concedenda ſine retar- datione.
- 29 Etiam ſi conſeſſa ſit ſine retardatione, probationes jam factae re integra attenduntur.
- 30 De denegatione remiſſoriae ſecundae, ſive poſt publi- catis atteſtationibus, & didicita teſtificata.
- 31 In dubio pro conſeſſione remiſſoriae.
- 32 De compulſoria ſpeciali.
- 33 De articulis imperinentibus.
- 34 Denegatur in materia obſectiva.
- 35 Denegatur excommunicato, & attentanti, ac ſpo- liatori.
- 36 Deneganda non eſt uni parti, ſi alteri data eſt, & quando ſecus.
- 37 De termino remiſſoriae quando currit, & quod ſit communis.
- 38 De regula generali in tota materia.

## DISC. XXXI.

**U**Na Partium volente ejus actionem, vel exceptionem, ſeu replicationem, ex integro probare, ſive probationem jam factam, ſi imperfecta reputetur, coadjuvare per teſtes, ac propterea exhibente in actis articuloſ citando ad dicendum contra, & videndum admitti &c. alteram Partem, quae ſe opponat; Hinc manant quaerſiones, quae praesertim in Rota, nimum frequentes eſſe ſolent, ſuper remiſſoria, ſuper cujus materia, tam magnam copiam deciſionum habemus.

Quoties itaque de hoc diſputati contingat in aliis Tribunalibus extra Rotam, & praesertim

in illo Auditoris Camerae, in quo major cumulus dignoſcitur cauſarum Urbis, & extra; Stylus eſt, deſuper non interloquendi, quando pro denegatione reſpondendum videatur, ſed implicitate id agitur cum proceſſu ad ulteriora; Quando vero videatur admittere, oppoſitio vero alterius partis aliquem habeat probabilem praetextum, ut praesertim ſequi ſolet in judiciis ſummaris, & executivis, aut quod ex regulis juris, ob publicatas atteſtationes, vel didicita teſtificata, id denegari debere praetendatur, tunc fieri ſolet admiſſio, cum clauſulis praeservativis jurium alterius opponentis; Puta ſine praedictio proceſſus executivi, ſive recipi, & poni ad partes ad effectum habendi eam rationem, quae de jure habenda erit. de iſto stylo mandari recipi, & poni ad partes deciſ. 334. circa ſin. par. 4. rec. tom. 2. & in aliis. cum ſimilibus; Idque ad tollendam occasionem appellandi ab admiſſione, vel non admiſſione articuloꝝ, dum frequentè ad hunc effectum iſta captioſa cautela adhiberi ſolet; Quando etenim, non quidem claſſici, & qualificati Curiales, ſed illi quibus Rabularum forſenium nomen potius congruit, agnoſcunt ſe alio deſenſionis praedidio deſtitutos, vel quia revera illud deſit, ob claram juſticiam alterius partis, vel quia illud ignorent; Ad protrahendam cauſae terminationem, hujusmodi novas probationes conſingere ſolent cum dilemmate, quod, aut Judex admittit, aut rejicit. Primo enim caſu habetur dilationis intentum, poſtillimè ubi ſupponatur, quod probationes faciendae ſint in partibus remotis; In altero autem, adhuc intentum habetur cum appellatione à denegatione admiſſionis articuloꝝ; Ideoque ut his calumniis, vel ſubterfugiis occurratur, ſtylus eſt procedendi cum quibuſdam mediis proviſionibus, per quas petenti non detur occasio quaerelae, atque alteri parti conſultum remaneat.

Ubi vero facta admiſſione articuloꝝ, concedendae ſint literae delegationis Iudicis in partibus, coram quo teſtes examinandi ſint; Extra Rotam, & praesertim in Tribunali Auditoris Camerae, adhibetur terminus diverſus, ab illo, quem adhibet Rota, dum in iſta adhibetur terminus remiſſoriae, cujus termino utuntur quoque Tribunal Camerae, ac etiam Sacra Congregatio Rituum, in qua hujusmodi diſputationes haberi ſolent in quaerſtionibus praedentiarum, in quibus conſuetudini praesertim immemorabili deſerri ſolet in correctionem eorum, quae alias de jure ſtatuta ſunt; In aliis vero Tribunalibus, & poſtillimè in ſupradicto Auditoris Camerae, adhibetur diverſus terminus, literarum miſſivarum.

Non obſtante autem decreto proviſionali jurium utriuſque partis praeservativo, ſive in caſu ſimplicis admiſſionis vel reſpectivè rejectionis implicitae cum proceſſu ad ulteriora; Una partium, cujus interſit fieri, vel non fieri, adire ſolet Signaturam juſticiae, quae raro hanc appellationem admittit, adeo ut cauſa committatur alteri, ut de ſtricto jure faciendum eſt, etiam ubi agatur de interloquutoria gravante, à qua juſtè appelletur, quod ſcilicet appellatio devolvat totam cauſam, ut infra in appellationis Rubrica advertitur; Sed quando ei videatur, quod denegatio admiſſionis, juſtè facta ſit, nihil reſcribi ſolet; E conſerſo autem, quando videatur locum eſſe admiſſioni, iſta oretenus injungitur eidem Iudici,



judici, cum oportunitis clausulis præservativis juris alterius Partis, prout causarum natura, aliavè facti circumstantiæ suadebunt; Istaque disputationes, extra Rotam, summarè, ac breviter expediri solent, parvasque moras necere; Moræ siquidem resultant in causis Rotalibus, non tamen multum commendabiliter, undè propterea ille stylus disputandi formiter cum suo dubio, ac edendi decisiones qui enunciatus habetur in ea relationis Curia rubrica, in qua de hoc Tribunali Rotæ agitur in relatione Curia disc. 32. commendabilis quidem est, ubi agitur de negotio principali, sed fortè reformatione dignus, super his incidentibus, cum calumniarum fomentum potius esse videatur, aliaque exinde resultant inconvenientia in extensione decisionum, ut mox relato loco advertitur.

In causis itaque Rotalibus; Aut agitur de examine faciendo in Curia, in qua testes reperiantur, vel quod ad eam partem petentem adduci offerantur; Aut verò, extra Curiam in partibus; Primò enim casu disputari solet dubium an articuli sint admittendi; In altero autem dubium concipitur, an sit concedenda remissoria.

Notabilis autem est differentia inter unum casum, & alterum, quoniam cum examen in Curia, promptè ac celeriter explicari valeat, non cadit illa suspicio calumniæ, quæ intrat in alio casu, quod scilicet id affectetur, potius ad dilationem, quam ad probationem.

Ac etiam quia, vel omninò, vel longè magis, cessat suspicio subornationis, vel concussionis testium dum in Curia; ob justitiam nimium bene administratam rigorosè, ac celeriter, contra delinquentes, ubi præsertim agatur de illo crimine falsitatis, non ita de facili litigantur inducunt testes falsos, vel potentialiter eos cogunt ad deponendum falsum, Mirusque habentur prompti testes, qui id agant; Frequenter enim præcavimus, (Ad aliorum tamen relationem; cum nunquam ex Dei gratia, id cum mea participatione nequidem cogitari casus dederit, quod pariter, ac melius de aliis classicis, & qualificatis Curialibus, saltem pro frequentiori stylo verè dicendum est,) Quod de facili inveniatur personæ illarum partium vel regionum, in quibus id magis in usu sit, ut se promptas offerant ferre testimonium super iis, quæ nunquam viderunt, nec audierunt, dummodo bene instruantur; At ubi monentur de rigore, cum quo irremissibiliter in Urbe proceditur in severa punitione eorum, qui falsum testimonium ferant, tunc terrentur & abstinent.

Ex alia quoque causa, regulariter, & pro frequentiori praxi provenit (dum nulla in hoc mundo datur regula sine limitatione,) quod in Curia non de facili practicetur testimonium subornatio; quod scilicet, non solum antequam deveniatur ad examen super articulis, præcedit examen super pluribus interrogatoriis, quæ diligenter, & cautelatè concipi solent, ut ex eis, testes de mendacio convincantur; Unde propterea recepta est propositio, quod testimonium dictas attendunt potius super interrogatoriis, quam super articulis, quodque testis, qui non respondet super interrogatoriis, reddatur suspectus, idè quod fide indignus censetur, ut disc. sequ. advertitur (dum ista cautela adhiberi potest, & solet etiam in examine faciendo in partibus transmittendo interrogatoria, quæ in Curia bene ordinata sint.)

Sed melius id provenit & alio; nimium quidem commendabili stylo, ubique introducendo,

*Card. de Luca de judiciis & judicialibus.*

interventus scilicet Interpretum utriusque partis, quorum quilibet respectivè, pro eius munere, testem interrogat, adeo ut Notarius, aliud scribere non valeat, nisi id, quod testis dicat per eadem verba præcisa, Cumque istud munus Interpretis fieri soleat per aliquos Causidicos diligentes, atque in tali munere, valde peritos, Hinc sequitur, ut nimium rari sint casus, in quibus illi testes, qui verè sint falsi, non convincantur, vel non detegantur tales.

Et quamvis ista bona cautela, soleat quandoque super examine faciendo, aliquas necere moras; Vel super electione Interpretis, dum prohibitum est istud munus explicari per procuratorem, vel sollicitatorem Partis; Vel ob discordias inter ipsosmet Interpretes, super modo interrogandi, vel super eorum congressu, dum aliqui malitiosi Interpretes, qui ad complacentiam eius, qui eos conducit, indiscretè, ac impertinenter testes interrogare solent, ut ita examen impediatur, vel in longum protrahatur; Undè propterea coguntur Judices, desuper providere; Vel deputando ex officio aliquem probatæ fidei Curialem in hoc munere versatum, qui id pro utraque Parte indifferenter agat, adinstar illius tertii periti, qui deputari solet in casu discordiæ eorum, qui hinc inde electi sint, ut infra in rubrica liquidationis habetur; Vel quandoque, pro causarum qualitate (licet rarò,) solent Judices demandare, ut examen fiat coram ipsis; Adhuc tamen est minus malum, comparative ad bonum, quod exinde resultat ita occurrendo seductionibus, & falsitatibus; Pro conditione etenim malitiæ seu naturæ humanæ, non de facili provideri potest, ut detur bonum sine malo, sed expedit eligere illam viam, per quam bonum præponderet, seu minus malum resultet.

Hinc proinde sequitur, quod quando agitur de examine faciendo in Curia, longe facilius, ac penè semper, articuli admittuntur, dum Romanæ Curia stylus commendabilis est non coangustandi, sed de facili ac omni tempore recipiendi probationes, ut rei veritas pateat, Ideoque licet quandoque praxis doceat, ut etiam examen in Curia denegetur, *Carill. decis. 238. infra decis. 521 num. 10. & segq. par. 5. rec. decis. 21. m. principio par. 11.* Attamen id valde rarum est, ac non nisi ex magna causa sequi solet, dum ita cessant illæ rationes, ob quas, ubi agatur de remissoria longè magis circumspicè procedi solet ut supra.

Quinimò praxis quandoque docet (quamvis rara) ut Rota, etiam ubi agatur de remotis partibus, concedere soleat examen in Curia, illud autem denegare in partibus, quod scilicet, ille qui intendit probationes facere, curet testes suo sumptu traducere ad Curiam, ut ibi examinentur, *Royas decis. 432.* Istamque cautelam frequentet nimium proficuum ego expertus sum; Quod scilicet, scribendo pro impediendo concessionem remissoriæ ob suspensionem, quam personarum vel regionum qualitas induceret; Dicere consuevi, quod licet de stricto jure examen denegandum esset etiam in Curia, adhuc tamen libenter ad tollendam omnem occasionem querelæ, quod eius probationes restringerentur, dabam manus, ut faceret examen in Curia, atque ita prætenso siluit.

Cum etenim in aliquibus regionibus, vel ditioribus, non de facili Judicibus ecclesiasticis concedatur usus jurisdictionis temporalis, cū secularibus; Hinc sequi solet quod isti assecrati, quod per judicè



causæ, in persona criminaliter puniri non possunt, non adeo timent ferre falsum testimonium, in causis quæ vertantur in Curia, sicuti timere possunt ac debent, quando in eadem Curia id agant; Ac propterea, ex eadem ratione, quandoque adversus huiusmodi petitiones, super examine faciendo in partibus adhibere consuevi cautelam dandi manus petitioni, cum restrictione tamen ad examen personarum ecclesiasticarum, super quarum punitione Iudex causæ in Curia liberum habeat exercitium etiam cum penis corporalibus vel realibus, aut cum privatione beneficiorum, vel cum suspensione ab exercitio ordinum, unde resultet interesse burfale pro amissione emolumentorum, dum humana malitia adeo crevit, quod pœnæ spirituales censurarum, parum timeri soleant, solumque timorem incutiant pœnæ corporales, vel burfales.

Quando itaque agitur de probatione facienda in partibus, atque ad hunc effectum petatur remissoria, cuius concessio de jure regulariter secum trahit dilationem seu retardationem cursus causæ; Unde propterea sub termino dilationum id apud aliquos scribentes theoreticos, vel practicos, ac etiam apud sacros canones, explicari solet, adeo ut frequenter ista petitio calumniosè ad hunc solum effectum dilationum, absque animo verè faciendi probationes, sequi solet; Istæque dilationes sint magis præjudiciales in causis beneficialibus in quibus, utpote redolentibus jus personale, seu vitalitium, exceptiones dilatoria, vim peremptoria-rum habere videntur; Hinc proinde, in ista materia proceditur cum distinctione inter causas spirituales, & causas prophanas, ut in spiritualibus strictius procedatur; Sub nomine autem, vel genere spiritualium, in hac materia remissoria, veniunt solum illæ causæ, quæ sint beneficiales, id est quod inter duos provisos contendatur de titulo seu pertinentia beneficii, adeo ut sit causa, quæ reddat beneficium litigiosum, unde propterea non sufficit, quod lis sit in possessorio tantum, sive inter collatores vel patronos respectivè, contententes de jure conferendi, vel præsentandi, quamvis ipsi provisi, vel præsentari, accessorie pro eorum jure & interesse sint in causa, quoniam attenditur id, quod principaliter agitur, ut in sua beneficiali materia ad-  
*vertitur. tit. de benef. disc. 92. & 99.*

Generaliter autem, omnes aliæ causæ, quæ dici non valeant beneficiales, ut supra, in hoc proposito dicuntur prophanæ, quamvis de sui natura, & ad alios effectus illum præsertim forti, ac alterum transportationis actorum, ecclesiasticæ, vel spirituales dicendæ sint; Ut (ex gr.) sunt causæ matrimoniales ac decimales & similes, quoniam ad alios quidem effectus dicuntur seu censentur spirituales, sed ad istum remissoriæ, de stylo Rotæ, & Curie, veniunt sub genere prophanarum, adeo ut non dicantur spirituales, nisi illæ quæ sint vere beneficiales ut supra.

In spiritualibus itaque; Illa in primis statuenda est regula, quod in illis casibus in quibus (ut infra) locus est denegationi remissoriæ in prophanis, clariùs idem dicendum est in spiritualibus, in quibus strictius proceditur, ex argumento vulgaris textus in *Auth. multo magis &c.* Sive ex dictorio, si hæc in viridi, quid in arido, &c.

Et ulterius in spiritualibus, ex superius assignata ratione, plura dignoscuntur specialia, quæ in prophanis non procedunt; Primum nempe, quod

in prophanis necessarium non est dare fumum materiæ articulatæ, sed solum sufficit relevantia, præterquam ubi obflaret vehemens suspicio calumniæ, vel quod ageretur de processu exequutivo ut infra; In spiritualibus autem remissoria non datur sine fumo,

Secundò, quod in prophanis remissoria conceditur in quacumque instantia; quinimò facilius in prima, quam in aliis; E converso autem in spiritualibus, non datur nisi in tertia, seu ultima, vel in ea prima, quæ speciem ultimæ habeat, quia nempe commissa sit causa appellacione remota, adeo ut alia non superfit instantia; Et quatenus de jure superfit, non datur remissoria, nisi petens, voluntariè ulteriorem instantiam, tollat consentiendo in unicam sententiam.

Et tertio, quod in prophanis, ubi remissoria petatur per possessorem (ut frequentius contingit) non tenetur quidem de jure pati sequetrum, sed vehemens suspicio caluniæ causare solet denegationem remissoriæ, unde propterea ille, qui eam petit, ad huiusmodi suspicionem removendam ac remissoriam obtinendam, voluntariè offerat sequetrum vel aliam provisionem; In spiritualibus autem sive possideat, sive non, consentire debet sequetrum. *De his omnibus disc. 99. de benef.*

In prophanis verò; Quamvis huiusmodi quæstiones sint quotidianæ, atque in Rota omnium fortè frequentiores; At tamen certa regula non habetur, cuiusque casui applicabilis, cum reverà ista censenda sit materia arbitraria, eiusque quæstiones sint facti potius quam iuris, cuius regulæ seu propositiones generales, ac etiam respectivè limitatio-nes, sunt certæ, nullamque amplius hodie admittunt controversiam, adeo ut parum commendabilis (ne dicam contemptibilis), pro meo sensu videtur stylus Advocatorum, ac etiam ille decisionum, cumulandi auctoritates super huiusmodi propositionibus, quæ tanquàm notoriæ, & incòvertibiles debent præsupponi, unde propterea allegationes continent superfluum repletionem chartarum; Atque mea dicendi consuetudo est (scribendo in huiusmodi quæstionibus,) quod regulæ seu conclusiones generales juris, sunt sicuti est versiculus *Gloria Patri & filio, &c.* quem omnes, etiam idiotæ, recitare, seu canere sciunt; Siquidem tota vis est in applicatione, quæ pendet a singulorum casuum particularibus circumstantiis; Et super quibus, neque regula dari potest, quoniam frequens praxis docet, quod eadem individua circumstantiæ, in uno casu sufficiant, in altero verò non, quia sic exigat, unius, ac alterius diversa qualitas.

Præcipuum itaque, ac essentialè requisitum, super quo ferè omnes disputationes circumferri solent, est illud relevantiæ, quoniam concedenda non est facultas faciendi illas probationes, quæ factæ non relevant, dum ita id importaret inanem circuitum in jure damnatum, atque clara resultaret probatio caluniæ, quod scilicet ex sola ratione dilationis huiusmodi petitio fieret. *Cas. de Grass. dec. 1. & 2. de dilat. Burat. & add. dec. 28. cum al. collect. per add. ad decis. 606. par. 5. rec.*

Verum, benignè in hoc procedi solet, ut scilicet denegatio remissoriæ ex capite irrelevantiæ sequi non debeat, nisi quoties illa sit clara, adeo ut sola possibilitas vel dubietas relevantiæ sufficere debeat, quamvis ea ex uno tantum articulo resultaret, si ille articulus ad victoriam sufficiat bene probatus



tus, apud allegatos proximè supra presertim add. ad decif. 606. par. 5. rec ubi concordantes. Ex illa congrua quidem ratione, quod non debent ita incidenter decidi cause in meritis.

Hinc proindè sequitur, ut frequentius malum consilium sit huiusmodi petitioni se opponere, istamque relevantiã disputationem assumere, sed potius expediat dare manus; Aut ubi credatur, quod materia articulata non relevet, eam dare pro probata, ut ita evitentur huiusmodi dilaciones, & subterfugia; Intra enim clarum dilemma; Aut oppositor credit, quod futuræ probationes non relevent, & tunc nil sua interest dare materiam pro probata; Aut credit quod possint relevare, & tunc id sufficit pro remissoria; Idque non solum, quia est terere tempus, & expensas inutiliter, ex dicta ratione, quod sola dubietas, vel possibilitas sufficit, unde propterea, pro frequentiori praxi, de concessione responderi solet; Sed etiam quia est pandere secreta cause, atque aperire aditum patendi notabilia præjudicia in meritis, ob stylum non quidem commendabilem se diffundendi in eis in editione decisionum, super meritis, ut agendo de Rotæ auditorio in *Relatione Curia* advertitur, in *relatione Curia dicto dist. 32.*

21 Ex aliis quoque causis (ultra istam irrelevantiam) oppositionem huic petitioni remissoriæ fieri solent, & presertim; Primo ratione calumniæ; circa quam regula est super eius exclusione, quod scilicet non præsumitur nisi probetur; *Burrat. & add. decif. 28. & 68. cum al. per add. ad dictam decif. 606. par. 5. rec. ubi etiam de infrascriptis respicientibus calumniæ inclusionem vel exclusionem, & passim.* Idèoque super ejus probationibus vel argumentis cadunt quæstiones, quæ pariter certam non habent regulam, sed pro Judicis arbitrio, ex facti circumstantiis regulando, decidenda sunt.

Argumenta vero desuper considerari solita sunt; Vel quod causa diu tractata fuerit, & nihilominus ista petitio protrahat ad eius imminentem finem vel expeditionem; Vel quod diu in partibus probatio faciendæ supponitur, causa tractata fuerit, ubi commodè probationes fieri poterant, ac verissimiliter factæ essent, cum similibus circumstantiis, quæ affectationis argumentum redoleant, ut scilicet, petitio calumniosa sit pro dicto solo fine dilationis.

Et è converso, calumniæ suspicio removeri solet; Vel quia detur materiæ articulatæ sufficiens sumus, qui ad hunc effectum in prophanis desiderari solet, cum aliàs non requiratur, ut supra; Vel quia ille, qui petit remissoriam, non possideat, cum in possessore ista suspicio calumniæ regulariter, ac frequentius cadat; Vel quia petatur remissoria, imminentiibus vacationibus generalibus æstivis intra quas, illa executioni demandari valeat, adeò ut alterius Partis nil intersit, dum ita dilatio nullum ei causat præjudicium; Vel quia justa detur executionis causa, ob quam prius remissoria petita non fuerit, sive cur facta non fuerint probationes in partibus, quia nempe illæ faciendæ sunt super novis iuribus, vel novis motivis alterius Partis, cum similibus circumstantiis quæ prudenti arbitrio pensanda sunt.

20 Altera species oppositionis, vel denegationis est, quod materia articulata, justificari debeat, vel possit per scripturas, quæ habeantur per alteram Partem vel de facili haberi possint, unde propterea opus non sit recurrere ad probationem per testes; Et per consequens exindè desumi solet argumen-

*Card. de Luca de iudiciis & judicialibus.*

tum calumniæ, quodque ad solum effectum dilationis id fiat, Verum pariter id regulam non habet, ob limitationem desuper tradi solitam, ubi scilicet probatio per testes proficua esse valeat, ad scripturarum corroboracionem, vel declarationem, tollendaque illa dubia, quæ in disputatione meritorum cadere possint cum solis scripturis; *Cavaler. decif. 87. Duran. decif. 196. Burrat. & add. decif. 180. & 587. add. ad decif. 606. par. 5. rec. Ottob. dec. 82.*

Denegationis etiam regulariter justa causa reputatur propria confessio adversus quam danda non est facultas faciendi probationes, dum illa quæ ex confessione resultat, dicitur probatio probata, omniumque probationum major; Et tamen adhuc limitatio intrat, quando probatio per testes relevare possit; Vel quia prætendatur probari error, (quo tamen casu, cum ille non præsumatur in facto proprio, sumus desiderari solet;) Vel quia probatio percutiat eiusdem confessionis declarationem, vel dilucidationem æquivoci, cuius illa sit capax; Vel quod non sit confessio propria, sed prædecessoris; Aut quod aliàs omninò perfectam, & necessariam probationem non producat, juxta declarationes, quæ in confessionis rubrica superius recensentur. *Royas dec. 466. Burrat. decif. 369. Gregor. decif. 523.*

22 Ex eadem ratione, denegationis justa causa reputatur, quando contrarium eius quod articulatur constat per publica instrumenta, vel per alia documenta, unde propterea reputatur petitio calumniosa; Et nihilominus eadem intrant limitationes, pro declaratione scilicet scripturæ, vel pro justificatione eius falsitatis vel doli, aut alterius qualitatibus, quæ illi adimat fidem vel efficaciam. *Burrat. decif. 351. 597. & 864. Duran. decif. 131. & 196. add. ad dec. 606. par. 5. rec.*

Res iudicata, vel transactio, quæ rei iudicatæ speciem habeat, obstaculum petitioni remissoriæ quoque præbere solet; Et tamen adhuc dubitationes intrant; Vel quia adversus rem iudicatam, commissa sit causa restitutionis in integrum; Nisi super ea disputatum sit, ac resolutum illi non esse locum; Vel quia petatur remissoria, ad effectum probandi nullitatem, vel injustitiam; Aut respectu transactionis, læsionem seu dolum, & circumventionem, aut errorem, vel falsum præsuppositum &c. *Burrat. & add. decif. 357. & 555. Gregor. & add. decif. 276. dec. 349 par. 12. rec. Ottob. dec. 136.*

23 Improbabilitas item materiæ articulatæ in praxi esse solet magna causa denegationis remissoriæ; Puta quia subjecta materia de sui natura non patitur probationem per testes; Aut quod talis probatio sit impossibilis; Ut præsertim pro frequentiori praxi contingere solet, quando articuletur immemorabilis, cuius præcipuum requisitum quadragenariæ pacificæ de visu post pubertatem, non sit verificabile, quia nempe subducto tempore litis, impossibile sit habere testes talis ætatis, cum similibus ponderationibus impossibilitatis pro facti qualitate, ex qua propterea totum pendet, *Burrat. decif. 551. & 864. decif. 344. par. 11. rec. Cels. decif. 104 & sæpius.*

27 Contrarietas quoque directa probationibus factis per alteram partem, reputari solet iusta causa denegationis, ex juris regula, quæ prohibet articulos de directo contrarios; Et nihilominus quilibet possibilis intellectus conciliativus pro huiusmodi contrarietate evitanda admitti solet; Ideoque pariter omnino certa regula statui non potest.



Qualitas item, seu natura privilegiata causa, hanc denegationem suadere solet; Puta quia agatur de spolio, vel attentatis, Aut de processu executivo in vim obligationis cameralis, vel alterius pacti executivi, sive literarum Apostolicarum, aut de summariissimo privilegiato iudicio manutentionis cum similibus, in quibus regula est, quod remissoria dari non debet, vel saltem dari debet sine retardatione iudicii, vel processus executivi; Et tamen quando praesertim detur vehemens fumus, vel quod alia iusta causa accedat, in his etiam casibus concedi quandoque solet, etiam cum retardatione, quae tamen pure decerni non solet, sed reservatur arbitrio regulando ex modo exequendi eandem remissoriam, ut scilicet in casu diligentis ac celeris executionis expectentur probationes ad effectum videndi quantum relevent. *Royas decis. 96. & 466. decis. 276. par. 6. rec. decis. 101. par. 10. dec. 585. par. 5. add. ad Buratt. decis. 211.*

Quinimodò, etiamsi remissoria concessa esset sine retardatione, adhuc tamen si ille, qui eam obtinuit in eius executione diligens fuit, adeo ut re adhuc integra processum remissorialem in actis exhibuerit, commendabilis est stylus saltem gustandi de probationum relevantia, ac interim super sedendi.

Regula quoque juris prohibet concessionem secundae remissoriae, quoties prima habita & effectuta fuerit, atque testificata, publicata, seu didicita sint ob praesumptionem, quod tunc litigans curaverit inducere testes meliores, unde propterea intret mala praesumptio, quod ita curet obtinere alteram, ad effectum inducendi testes falsos, & subornatos; Et tamen frequens praxis docet hujus regulae limitationem, Vel ob examinis nullitatem, Vel quia novi articuli concernant res diversas, Aut quod concernant eandem melius explicatas cum similibus. *Buratt. & add. decis. 228. & decis. 824. & 816. & 180. decis. 334. par. 11. rec. decis. 235. par. 5. Caril. dec. 238.*

Quaestione cadente, quando testificata dici debeant didicita, seu publicata; Atque receptum est ea dici talia, quando sequuta communicatione depositionis, vel summarii Partibus, processum quoque fuit ad dispositionem super relevantia depositionum, deducendo exceptiones in persona, vel in dicto, juxta ea quae habentur *disc. seqq.* Secus autem ubi solum sequuta esset communicatio summarii Partium Advocatis, & Procuratoribus, absque aliqua discussione, cum tunc iste actus non tollat facultatem alterius probationis, ex recepto Curiae stylo inducto; Tum ob probatam eius Curialium fidem; Tum etiam quia stylus est dandi summarium sine nominibus testium; Et in summa, est materia arbitraria, quae certam non recipit regulam, sed tota pendet ex singulorum casuum qualitate & circumstantiis, spectato sine, seu ratione, ob quam lex eius denegationem demandet. *decis. 521. par. 5. rec. Carill. dicta dec. 238. in fin. Seraphin. decis. 688. Gregor. dec. 497. Buratt. decis. 597. & saepius.*

In dubio autem, pro concessione potius responderi solet, dum Curia sequitur canonicam aequitatem, quae suadet, ut veritas naturalis attendi debeat, illaque semper admitti, negligendo quasdam juris civilis subtilitates, vel superfluitas formalitates. *Buratt. & add. decis. 28. add. ad dec. 606. par. 5. rec. decis. 101. par. 10. adeo ut quandoque etiam tertia remissoria concedi soleat, quando iusta causa suadeat. Buratt. decis. 816. & saepius praeclavi.*

Omnia verò praemissa circa remissoriam, pariformiter procedunt in compulsoria speciali, quae eandem vim habet, sive eundem operatur effectum

dilationis impeditivae ulterioris progressus causa, cum eadem ratio pariformiter intret, ideoque adesse debet relevantia, & absesse calumnia, ac etiam, ut doceatur de existentia, *Vestr. lic. 6. cap. 1. Bich. decis. 475. 110. par. 10. rec. 156. par. 11. Buratt. decis. 555.*

Super articulorum impertinentia, & refectio, cadere solent quaestiones, quae tamen pariter certam non admittunt regulam, sed ex facti circumstantiis fortius verò ex Tribunalium stylis, decisionem recipiunt, atque praxis Curiae est ad evitandas huiusmodi discussiones, an, & qui sint impertinentes, illos admittere cum praeservativa, sine praedictio impertinentium, & non admittendorum. *Vestr. in prax. lib. 5. cap. 14. & 15. decis. 521. num. 11. par. 5. rec.*

Denegari etiam regulariter debet in materia obiectiva, & ad probandum delictum; Secus pariter id plures recipit limitationes, ideoque non datur certa regula, ubi scilicet incidenter ad alium finem; Licet ad effectum istius, vel similis limitationis considerari soleat fumus, *Buratt. & add. dec. 28. 357. 587. & 877. decis. 5. par. 10. rec. Cremonen. parochialis 15. Junii 1646. coram Cerra.*

Excommunicato quoque negari solet, *Buratt. & add. decis. 23.* Ac etiam attentanti, vel spoliatori; Non tamen negatur ad excusandum ab attentatis, vel à spolio. *Royas decis. 228. & 433. Gregor. decis. 276.*

Quando verò data est uni parti, regulariter non debet alteri denegari, quamvis & id certam non habeat regulam, sed pariter sit arbitrarium pro facti qualitate. *Royas dicta decis. 228. & in aliis de quib. add. ad dicta decis. 606. par. 5. rec.*

Terminus remissoriae currit à die qua consignata fuerunt literae petitori, illaque datus uni, est communis alteri parti ad reprobandum, ideoque ad hunc effectum regulariter non datur nova remissoria, nisi quando calumnia excludatur, & facti circumstantia ita suadeant. *Buratt. & add. decis. 501. & 587. decis. 327. par. 5. rec.*

Alia plura habentur in hac materia, super quibus pene impossibile est regulam dare, cum tota sit materia facti, & arbitrii, cui totum remissum est. *late add. ad dictam decis. 606. par. 5. rec.* Ac propterea à simili eorum quae supra habentur, tradenda sunt linea, seu faciendae est applicatio, habendo, ut dictum est praefacienda sine, seu rationem regularum, ac limitationum, non autem inherendo generalitatibus, aut quid, in uno, vel in altero casu, decisum, seu practicum fuerit, cum impossibile videatur, ut omnium casuum eadem circumstantia, ita adamussim individuent, ut quod in isto casu est decisum, in altero decidi pariformiter debeat, ideoque est materia, quae indiget iudicibus probis, ac iudiciosis magis, quam puris leguleis.

De relevantia probationis jam facta per testes, vel per attestaciones; Et de exceptionibus, quae testium fidem adimant vel minuant.

### S U M M A R I U M.

- 1 Duplici specie probationis per testes, solemniter scilicet, & informi.
- 2 Fides vel attestaciones extrajudiciales, & informes non faciunt probationem.
- 3 Fallit ubi agitur de attestacionibus Magnatum.
- 4 Ac etiam fallit concurrentibus admniculis.
- 5 Quomodo in prima limitatione procedendum sit.

6 Et